Sed non ita ut et filiabus uel aliis per uirilem se-
xum descendentibus liberis utriusque fuerat sicut
antiquitati obseruatum. Sed si non fuerant herede(s)
scripti scripteue. uel exheredati. exheredataeue te-
stamentum quidem non infirmabatur. Ius autem ac-
crescendi eis ad certam portionem prestabatur. Sed
nec nominatim eas personas exheredare parenti-
bus necesse erat. sed licebat et inter ceteros hoc fa-
cere. Nominatim autem exheredari uidetur. siue
ita exheredetur. titius filius meus exheres esto.
Siue ita filius meus exheres esto. non adiecto pro-
prio nomine scilicet si alius filius non extet.

C. de postumis. l. i.

Postumi quoque liberi uel heredes institui debent.
uel exheredari. Et in eo par omnium condicio est.
quod in filio postumo. et in quolibet ex ceteris libe-
ris siue feminini sexus siue masculini preterito
ualet quidem testamentum. sed postea agnatione
postumi siue postume rumpitur. et ea ratione
totum infirmatur. Ideoque si mulier ex qua postu-
mus aut postuma sperabatur abortum fecerit.
nichil impedimento est scriptis heredibus ad
hereditatem adeundam. Sed feminini qui-
dem sexus persone. uel nominatim. uel inter
ceteros exheredari solebant. dum tamen inter
ceteros si exheredentur. aliquid eis legetur. ne ui-
deantur per obliuionem preterite. Masculos uero
postumos id est filium et deinceps placuit non a-
liter recte exheredari nisi nominatim exherede(n)-
tur. hoc scilicet modo quicumque michi filius
genitus fuerit exheres esto.

Postumorum autem loco sunt hi qui in sui here-
dis locum succedendo quasi agnascendo fiunt
parentibus sui heredes. Ut ecce si quis filium et
ex eo nepotem neptemue in potestate habeat
quia filius gradu precedit. is solus iura sui he-
redis habet. quamuis nepos quoque et neptis ex